

subsistens spiratoris: ergo nullum remanet fundamentum, ut opponatur paternitas, et filiatio Spiritui sancto; sed solum remanet mera concomitantia illarum duarum Personarum cum individuo spiratoris, quæ non sufficit ad realem, et propriam oppositionem: si autem non opponuntur, neque distinguuntur; et sic paternitas, et spiratio activa identificantur, quod dici non potest.

XXVI. Inquires: Quid ergo importat ly spirator, et quomodo constituit unum principium spirandi, si non constituit unum individuum subsistens, quod dicatur unicum principium spirandi?

Respondetur ly spiratorem non importare unitatem individuationis, et subsistentiæ in ipso principio spirandi, sed unitatem proprietatis, et relationis communis duplici Personæ subsistenti. Itaque spiratio activa est proprietas ordinans duas subsistentias ad amorem mutuuum, non unum subsistens constituit ad spirandum, et producendum amorem, quia cum ille amor productus, et spiratus essentialiter sit nexus duorum, qui dicitur communicatio Spiritus sancti, essentialiter quoque postulat non procedere ab uno individuo subsistente, sed a duplici Persona se osculante, et complectente unica proprietate spirationis. Et sic est spiratio illa osculum quasi actuum duorum subsistentium, non subsistentia duarum Personarum, ex qua proprietate sic active osculante, et spirante procedit nexus, et osculum personale, quod est Spiritus sanctus.

XXVII. Sed objicies pro sententia opposita: Nam spiratio activa est principium Spiritus sancti subsistens per se in ipsa natura divina: ergo constituit individuum subsistens, quod est spirator. Consequentia patet, quia spiratio subsistens in natura non constituit aliud indivi-

duum, quam spiratorem: ergo. Antecedens probatur, quia principium Spiritus sancti non est paternitas, et filiatio ratione sui, sed sub ea ratione qua opponuntur relative Spiritui sancto, sed solum opponuntur ratione spirationis: ergo spiratio est relatio per modum principii producendi Spiritum sanctum. Illa autem relatio est per se subsistens, quia est relatio per modum subsistentiæ, cum non sit accidens: ergo per modum subsistentiæ. Patet consequentia, quia non est substantia per modum naturæ, alias esset communis omnibus tribus Personis, et esset quid absolutum: ergo per modum subsistentiæ: ergo est relatio subsistens.

Confirmatur, quia Pater, et Filius sunt unus numero spirator in individuo, sicut sunt unus numero Deus, sed hic Deus communis Patri, et Filio est unum individuum subsistens in natura divina: ergo hic numero spirator est unum individuum subsistens in proprietate, et principio spirandi. Major probatur, quia Pater, et Filius non sunt plures spiratores: ergo unum subsistens in ratione spiratoris. Patet consequentia, tum a paritate rationis, quia hic Deus est unum individuum subsistens in deitate antecedenter ad subsistentias relativas, quia est una numero natura per se existens per modum substantiæ: ergo etiam hic spirator erit unum individuum subsistens, quia est una virtus spirandi, et una relatio per modum substantiæ. Et sicut natura divina ut consistit in intelligere, seu in intelligibilitate actuali se ipsa redditur subsistens, et petit relationem paternitatis ad generandum, et exprimendum Verbum, ita etiam eadem natura divina, quatenus amans, erit subsistens et petit relationem spirationis per modum subsistentis quod ad spirandum, licet communicabile duabus

Personis Patris, et Filii. Tum etiam quia spiratio activa, quæ significatur in abstracto, etiam debet significari in concreto per modum per se existentis, quia concretum, et abstractum in Deo idem sunt, et sicut aliæ relationes, et proprietates habent suum concretum, et abstractum, ita etiam ly spiratio; concretum autem in Deo est per se existens, et essentiam includit: ergo etiam est subsistens.

XXVIII. Respondetur distinguendo primum antecedens: spiratio activa est principium subsistens, distinguo; subsistens identice, et ratione subsistentiæ sibi adjunctæ Patris, et Filii concedo; est subsistens formaliter, et ratione sui præcise, nego antecedens. Ad probationem, concedo quod paternitas, et filiatio non est principium Spiritus sancti, quantum ad proprietatem, et virtutem spirandi, seu quantum ad rationem principii formalis, nisi ratione spirationis activæ, licet per se sit principium radicale, et radicaliter oppositum Spiritui sancto tamquam principium quod petens ex se spirationem activam. Et dicimus quod illa relatio est substantia non per modum naturæ, neque subsistentiæ, sed per modum proprietatis notionalis divinæ, quia hoc ipso quod divina est, est substantia, et subsistentia identice, non formaliter; unde non pertinet ad ipsam constituere individuum ex sua propria linea, et formali ratione, sed solum identificari cum individuo subsistente ad spirandum, quod est Pater, et Filius: neque enim per se est personalitas constitutiva Personæ, et consequenter neque est subsistentia relativa ut ostensum est, sed solum proprietas relativa duarum Personarum: non est autem necesse, quod omnis ratio, aut virtus, quæ est in Deo, constituat individuum subsistens formaliter, sed

sufficit quod identice sit substantia subsistens, sicut patet in aliis attributis, ut esse immensum, vel æternum, vel justum non dicit distinctum individuum subsistens, licet omnia ista attributa sint substantia, et subsistentia identice.

Ad confirmationem respondetur verum esse quod Pater, et Filius sunt unum numero spirator, et una numero spiratio activa propter unitatem proprietatis significatæ per hoc nomen principium Spiritus sancti, ut S. Thomas affirmat in hac quæstione xxxvi, art. iv, non propter unitatem subsistentiæ importatæ formaliter in nomine spiratoris, seu spirationis activæ. Unde ad probationem majoris dicitur, quod licet sint unus numero spirator Pater, et Filius, non tamen unum subsistens in vi spiratoris formaliter. Et ad primam probationem dicitur esse disparem rationem de hoc Deo, et de hoc spiratore, quod hic Deus formaliter, et ex suo conceptu importat ipsum esse divinum ut per se existens, et non in alio: unde ex vitalis conceptus formalis importat subsistentiam quantum ad munus existendi per se, licet non quantum ad munus incommunicabilitatis: hoc enim solum habetur per subsistentias relativas. Cæterum hic spirator ex suo formali conceptu non explicat naturam, et esse divinum sub ratione essendi absolute, et per se, sed sub ratione proprietatis personalis, seu virtutis, et relationis spirativæ: unde non habet per se formaliter constituere subsistens quantum ad id quod est perseitatis in essendo, sicut subsistentia absoluta, neque quantum ad incommunicabilitatem sicut relativa. Et ad paritatem allatam inter intelligere et velle, respondetur quod intelligere divinum, non in quantum intelligere præcise, sed in quantum natura substantialis est a se, et per

se existens, habet subsistentiam absolutam : et in quantum infinitæ perfectionis, et fœcunditatis est, habet relationem paternitatis, non solum ad generandum, sed etiam ad spirandum, quia spirare pertinet ad intelligentem. Et sic quando dicitur quod etiam ex ipso velle debet resultare relatio subsistens, dico, quod formaliter solum resultat relatio per modum proprietatis notionalis, quia voluntas fœcunda est, sed non per modum subsistentis formaliter ex vi sui conceptus, sed solum identice, quia tota ratio subsistentiæ præsupponitur in ipsa paternitate, et filiatione, quæ sunt radicaliter, et ut quod ipsa spiratio. Quod amplius explicatur ex D. Thoma infra qu. XL, art. IV, ubi docet, quod actus notionalis spirandi, præcedit secundum intellectum relationem communem spirationis : ergo non resultat ista ex natura immediate, sed ex actu notionali, qui utique Personarum est.

Ad secundam probationem dicitur, quod abstractum spirationis habet suum concretum, nempe spirans, vel spirator, et hoc concretum est per se existens, et subsistens identice, non formaliter, id est, non quasi forma subsistentiæ, et constituens in Deo distinctum subsistens, sed quia entitative est aliquid divinum quod non est accidens, sed substantia, et consequenter subsistens : formaliter autem solum facit concretum virtutis, seu proprietatis relativæ, sicut etiam alia concreta attributorum aut nominum significantium origines, et non relationes.

XXIX. Secundo, objicies : Relatio spirationis activæ est omnino indivisa in Patre, et Filio, ita quod neque etiam per rationem est partialis, et partibilis : ergo debet esse subsistens secundum se, et tamquam principium, quod. Probatur consequen-

tia, quia id quod communicatur pluribus suppositis tamquam forma, et principium quo præcise, virtualiter multiplicatur in illis, saltem propter diversam communicationem : ergo ut nullo modo, etiam virtualiter, et per rationem dividatur, oportet quod communicetur tamquam principium quod, sicut natura divina pro indiviso est in tribus Personis, quia communicatur ut natura subsistens subsistentia absoluta.

Confirmatur, quia spiratio non convenit Patri et Filio secundum quod opponuntur inter se, sed quatenus conveniunt, si quidem solum datur unicum principium Spiritus sancti ; sed Pater, et Filius non conveniunt nisi in natura divina : ergo convenit eis spiratio activa ratione naturæ divinæ, ita quod ex natura divina in qua conveniunt Pater et Filius, et ex ipsa relatione spirationis immediate resultat aliquod individuum, quod non est aliud nisi spirator, et hoc debet esse subsistens, quia immediate afficit naturam, ut relatio, et terminus.

Confirmatur secundo ex D. Thoma in I ad Annibaldum, dist. XXIX, qu. I, art. IV ad II, ubi cum objecisset quod in divinis relationes sunt subsistentes, sed spiratio est quædam relatio : ergo est subsistens et Persona, respondet quod : « Sicut divinitas in divinis non est nisi subsistens, et tamen una deitas est Patris, et Filii, quia sunt duo subsistentes ex alia ratione distincti, similiter et de communi spiratione oportet intelligi. » Ergo secundum D. Thomam spiratio est subsistens sicut divinitas, et consequenter spirator est subsistens, sicut hic Deus.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod forma quæ communicatur Personis pro indiviso, et per modum unius proprietatis, vel unius essentiæ, et

attributi communicatur unico modo, et unico esse, sicque non multiplicatur etiam virtualiter, quia esse talis formæ, nec virtualiter est multiplex, cum sit esse actus puri, et ad hoc sufficit quod sit subsistens identice, sicut sunt omnia attributa, et etiam ipsa proprietas spirationis activæ, non autem requiritur quod sit subsistens tamquam constituens formaliter, et per modum subsistentiæ ipsum subsistens, sicut patet in omnibus aliis formis vel attributis, quæ communicantur Personis.

Ad primam confirmationem respondetur spirationem divinam convenire Patri, et Filio, non ut opponuntur inter se, sed ut supponuntur distincti, et oppositi : uniuntur autem in proprietate notionali spirandi Spiritum sanctum. Et quando instatur quod Pater, et Filius solum conveniunt in deitate, distinguo ; solum in deitate ut absoluta, et per modum naturæ significata, nego ; ut etiam fœcunda in voluntate ad spirandum, concedo, quia in hac ratione etiam non opponuntur, et consequenter in ea conveniunt. Unde relatio spirationis quæ convenit Patri, et Filio ex parte voluntatis fœcundæ non afficit immediate naturam sub conceptu naturæ ; et sic non constituit individuum subsistens, sed afficit immediate Personas ut habentes voluntatem fœcundam ; et sic supponit earum subsistentias, et solum per modum proprietatis notionalis illas afficit, quæ proprietas est idem cum voluntate, et consequenter est identice subsistens, sicut ipsa voluntas secundum subsistentiam absolutam, et communem ; et ulterius secundum subsistentias incommunicabiles Patris et Filii, quia etiam est idem cum illis.

Ad secundam confirmationem respondetur quod potius illa, auctoritas est pro nobis, quia D. Thomas ex uno antecedenti certo, nempe

quod relationes sunt subsistentes, proponit argumentum fallax, inferens conclusionem hæreticam, nempe quod spiratio activa sit persona subsistens. Et respondet concedendo antecedens, et negando consequentiam. Explicat vero antecedens, nempe quod relatio sit subsistens, sicut divinitas ipsa subsistens est, et quod hoc modo oportet intelligi de spiratione, ubi ly hoc modo non dicit quod formaliter spiratio constituat subsistens relativum, qui sit spirator : sic enim concederet consequentiam, quod intendit negare : sed ly hoc modo est idem quod spirationem activam esse subsistentem identice subsistentia illa absoluta deitatis, qua ipsa in se est formaliter natura subsistens.

VIRTUS SPIRATIVA QUOMODO SIT IMMEDIATE IN PATRE, ET FILIO.

XXX. Circa tertiam difficultatem hujus articuli omissis aliis, quæ in principio articuli remisimus explicanda disputatione sequenti, hoc solum restat inquirendum in præsentibus, quomodo ipsa virtus spirativa, quæ est principium quo spirandi Spiritum sanctum conveniat immediate Patri, et Filio. Et idem est de relatione spirationis, quia potentia seu virtus spirativa ita importat voluntatem, seu essentiam, quod connotat ipsam relationem, sicut de potentia generativa docet D. Thomas infra quæst. XLI, art. V.

In præsentibus ergo unum est certum, et commune inter auctores, et de alio dubitant aliqui. Certum est ipsum actum, et exercitium spirandi, et producendi Spiritum sanctum non prius convenire Patri quam Filio, ita quod intelligatur prius etiam prioritate originis, vel etiam